



99 7 218







DISPUTATIO ORDINARIA XI.  
DE  
*GRATIA ET EVANGELIO*

Ad cuius positiones,  
DIVINA FAVENTE CLEMENTIA  
*Præside*

MATTHIA HOE, NOBILISS:  
ET MAGNIFICI VIRI, DN. D. LE-  
ONHARDI HOE &C. CONSILIARII  
Archiducalis Austriae piæ memoriæ Filio  
S. S. Theologiæ Candidato,










*Pro viribus respondebit.*

CHRISTOPHORUS  
Steidlmeir Purbachius Austriacus Illustr  
*Procerum Austriae Inferioris*

Alumnus.

*Ad diem 27. septemb. Anno seculari  
1600 hora 12. pomeridianâ.*

WITTEBERGAE,  
Typis Zachariæ Lehmanni.  
Anno M. D. C.



ILLVSTRIBVS, GENE-  
ROSIS, NOBILISSIMIS, STRENVIS  
ATQVE AMPLISSIMIS VIRIS, VTRISVQVE  
status Baronum & equestris ordinis in Archiducatu Austriae, infra  
Onasum Proceribus, sacrae Caesar: Maiestatis Consili-  
arijs Magnificis &c, &c.

NEC NON

GENEROSIS ET INCLYTIS  
*Domino, Dn. Guolphango Theodorico à Greysen in  
VValdt, Dn. in Rosnau & Schrembs &c.*

ITEM

DOMINO, Dn. SEBASTIANO GREYS-  
sen, in VValdt, Dn. GM VNDAE Serenissimo Principi ac Domi-  
no, Dn: MATTHIAE, Archiduci Austriae &c:  
ab Officijs Aulicis:

ET

DOMINO, Dn: ACHATIO HO-  
benfeldero, Dn: in Aistershaimb Almegg & Peur-  
bach &c. Illustrium Procerum superioris Au-  
striae deputato ordinario &c, &c.

Dominis Patronis & Mecænatibus suis summâ ac perpetuâ  
observantiâ colendissimis.

*Ἡοο προγύμνασμα Theologicum in studiorum σύμβολον gratiᾶς  
ἀνιμι τεκμήριον*

99 7218

Dicat  
Offeret  
Consecrat

Alumnus humilimè subiectissimus  
Christophorus Steidlmeir Purbachius Austr:  
Respondens



Disputatio XI.  
DE GRATIA ET EVANGELIO.  
Thesis I.

**D**ROXIMA DISQUISITIONE DECIMA de praeclarissimo illo articulo, videlicet de LEGE divinâ contra Iesuitarum *παραδόξα* satis luculenter egimus: nunc convenienti ordine sequitur, ut de alterâ doctrina Christiana Parte, Nempe de Evangelio & Gratiâ dispiciamus.

II.

Vbi ante omnia vocabuli Evangelij *πολυσημασία* expedire necessum est: quâ presuppositâ tanto rectius in articulo hoc versari queamus.

III.

Evangelium ergo interdum pro totius Novi Testamenti doctrinâ generaliter, hoc est, Lege, & concione Gratia; Interdum pro alicuius Evangelistae libro, vel eiusdem *πρινοπῆ*, interdum specialissimè pro gratia promissionibus in Christo, siue ille in Testamento veteri, siue in Novo reperiantur, usurpatur.

IV.

Vnde factum, ut diuersas Evangelium definitiones sortiretur. Generaliter enim acceptum, est doctrina de poenitentia & remissione peccatorum Luc. 24. v. 46. Specialiter est doctrina de gratiâ & misericordiâ Dei Patris, remissione peccatorum, & salute aeternâ per fidem in Iesum Christum Ioan. 3. v. 16.

## V.

Nos hâc disputatione, in postremâ vocabuli significatione & definitione occupati erimus: precipuasq; controversias paucissimis attingemus.

## VI.

Ac in initio quidem dum definitur Evangelium gratia con-  
cio, inter nos & Papistas haud leuiter disceptatur, quid vo-  
cula GRATIÆ significet; quippè quod ἡ δωρεὰ inibi mani-  
festissima latere deprehendatur.

## VII.

Nonnunquam enim hac vocula GRATIÆ notat in  
sacro Bibliorum Codice, gratuitum Dei favorem, eiusq; im-  
mensam misericordiam, quâ gratis peccatores propter Filium  
complectitur, & in gratiam suam recipit, Exodi 33. v. 19. E-  
phes 2. v. 4. 5. 6. 7. 8. Rom. 3. v. 24. Tit. 3. v. 4. 5. & 7.

## VIII.

Nonnunquam autem dona S. Sancti, & χάρισμα, quæ  
ex gratiâ, hoc est, ex gratuito DEI misericordissimi favore  
in nos conferuntur, per voculam GRATIÆ appellari consue-  
verunt, Rom. 12. v. 6. I. Corinth. 12. v. 4. & 9.

## IX.

De priorè significatu potissimum controvertitur, An  
Gratia gratum faciens, hoc est, misericordia Dei Patris quâ  
nos acceptat in Filios, per fidem propter Christum, sit qualitas,  
permodum habitus in homine permanens.

## X.

Vbi quidem affirmativam tuentur universi propemo-  
dum hodierni Papista & Iesuita, quod patet ex Conciliabulo  
malè

malè à Diabolo conciliato Tridentino & Catechismo Romano;  
nec non ex Iesuitarum Coryphæo, Roberto Bellarmino, nuper  
Cardinali electo, Tom. 3. Controvers. lib. 1. de grat. & Lib. ar-  
bitrio, cap. 3. 4. 5. 6. 7.

### XI.

Nos contrà profanam opinionem dicimus, & misericor-  
diam divinam nos salvantem inter qualitates & habitus re-  
censendam, prorsus pernegamus.

### XII.

Præter quam enim, quod scriptura sancta sententia ista  
planè est contraria, cum primis illud observandum venit, Pi-  
ghium, qui alioquin classicus & celebris est Pontificius, eam sa-  
tis falsè in scholasticis risisse, & satis graphicè confutasse lib. 5.  
de Lib. arbitrio, his verbis: Gratia acceptionem variam non ce  
ex scholis, sed ex divinis scripturis petimus. Quandoquidem ce  
in illis ferè imaginantur, GRATIAM DEI qualitatem ali- ca  
quam increatam anima nostra à Deo: vel eandem cum carita- ce  
tis habitu, vel distinctam ab eodem: Quæ commentitia v- ce  
niuersa existimo, nec ex scripturis ullam auctoritatem ce  
habere.

### XIII.

Dignum pro fecto hoc testimonium, à Theologo Papistico  
desumptum; qui ingenuè fatetur, scholasticos gratiam Dei per  
qualitatem & habitum desinientes, absq; scripturâ loqui, &  
nisi commenta, hæc in parte nihil pronuciare.

### XIV.

Eant nunc Papista, & de uniuersali consensu Ecclesia  
Romana gloriantur; Eant, & quam belle invicem consentiant,  
haud secus ac lux & tenebra, penitiùs examinent.

## XV.

Opera autem precium est considerare, quodnam Iesuita Bellarminus, pro stabiliendo suo dogmate fundamentum habeat: quàm firmiter concludat, ut ita vel ὀρθοδοξία vel κἀνοδοξία Iesuitica manifestius clucescat.

## XVI.

Producit ergò Bellarminus lib. 1. de grat. & Lib. arbitrio, cap. 4. locum ex epistolâ Paulinâ cap. 5. ad Rom. v. 19. per obedientiam unius hominis iusti constituuntur multi.

## XVII.

Quorum verborum explicationem ponit hoc modo: Nos per obedientiam unius Christi iustos multos constitutos existimamus in eo sensu, ut merito obedientia Christi reconcilietur nobis Deus, & ab eo iusticiâ donemur, quæ sit qualitas anima nostra infusa & inherens.

## XVIII.

At verò mi Iesuita, quæ turpissima hæc est ἀδολεξία? quæ intolerabilis in te Cardinali principij petitio? Non enim quia tu sic nos obedientiâ Christi iustos statuis, ut iusticia per modum qualitatis & habitus nobis inhereat, ideò sic statuedum est; sed quia tu huius eiusdem explicationis fundamentum nullum producis idcirco tam argumentum ipsum, quam argumenti probatio merito evanescit.

## XIX.

Non enim Apostolus ait nos per Christum ita iustificatos esse, ut per nobis inherentem qualitatem iustificemur: sed totam nostram iustificationem soli obedientia & merito Christi tanquam



tanquam formali causa solitaria, adscribit, inquiens: per obedientiam unius hominis, iusti constituentur multi.

## XX.

Iam verò obedientia Christi non est qualitas nobis in hærens; non est habitus in nobis permanens sed extra nos. & in solius Christi personâ præstita: id quod vel pueris manifestissimum esse patet.

## XXI.

Instat Iesuita, & ex contextu Pauli  $\theta\epsilon\sigma\upsilon\sigma\upsilon$  suam  $\omega\iota\lambda\acute{\alpha}\rho\tau\epsilon\sigma$  conatur: quia videlicet Apostolus dicat: Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi. ITA per obedientiam unius hominis, iusti constituentur multi.

## XXII.

Atq; ex hinc tali ratione argumentatur: Constat nos non constitui peccatores per imputationem iniusticia, qua fuit in Adamo, sed per iniusticiam nobis verè in hærentem per modum habitus, quam contraximus ob inobedientiam primi hominis, cuius Filij sumus. Igitur iusti etiam constituimur sicut quid Apostoli antithesis valet, non per imputationem iusticiae que in Christo; sed per iusticiam nobis verè in hærentem per modum habitus qua nobis infunditur ob Christi obedientiam cuius per lavacrum regenerationis, filij efficimur. Huc usq; Iesuita.

## XXIII.

Summa ergò conclusionis Bellarminianæ in eo consistit  
quod

quod vocula S I C V T in verbis Paulinis indiscretè & indeter-  
minatè accipienda, ac proinde omnem προσδοξισμὸν penitissi-  
mè excludat.

#### XXIV.

Quo posito fundamento, ultro iam sequetur, sicuti per  
inobedientiam Adami multi constituuntur peccatores non per  
imputationem; sed per in harentem nobis malitiam; ita per o-  
bedientiam Christi multos constitui iustos, non per imputatio-  
nem; sed per in harentem iusticiam.

#### XXV.

sed heus Iesuita, parce festinationi: salua res est. quod tu  
enim προσωδότητον acceptas, id nos simpliciter negamus: & te  
παραλογισμὸν similitum vel comparatorum admittere pro-  
nunciamus.

#### XXVI.

Paulina enim comparatio instituta est, non principaliter  
de modo vel damnationis in Adamo, vel iustificationis in Chri-  
sto; sed duo cum primis spectat: Primo quidem, quod per unum  
Hominem mors in mundum & per unum Hominem  
vita in mundum intravit. Deinde universalitatem obie-  
ctorum: quod S I C V T per inobedientiam unius hominis M V L-  
T I constituti sunt iniusti; ita per obedientiam Christi, itidem  
unius, M V L T I iusti constituti sint: & sic Paulus potissimum  
in similitudine suâ, de Latitudine & uniuersalitate tum rea-  
tus in Adami inobedientiâ, tum recuperata gratia in Christi  
obedientiâ loquitur.

#### XXVII.

Iesuita ergo nimis latè comparisonem à scopo instituto  
extendit: Quod si particulam istam Sicut ita indefinitè, ~~capit,~~

e adem facilitate concludere possem: quod sicut per inobedientiam  
unius, hominis Adami Multi constituuntur iniusti Natura, & in  
utero Matris iniusticia habitum inhaerentem habent, Ita & per  
obedientiam Christi iusti multi Natura, & in utero Matris con-  
stituuntur.

### XXVIII.

Quemadmodum autem ipse Iesuita ad hanc meam consequen-  
tiam nihil haberet aliud quod responderet, quam comparationem  
Paulinam nimis late à me extendi, ita ipsius sanctam Beatitatem  
rogat hoc ipsum vitium in suamet argumentatione agnoscat.  
Præsertim cum Apostolus in eodem cap. v. 15. & 16. expressè di-  
cat: Non sicut Peccatum: Ita & Donum: Hinc ergò ratio  
eior: Non sicut peccatum ita & donum: sed peccatum est qualitas  
nobis in hærens: Ergò donum non est qualitas inhaerens. Hisce, sicut  
~~scilicet~~, audes, Iesuita vaferrime:

### XXIX.

Destructo ergò hoc ipsius fundamento præcipuo, etiamnum  
salvum manet, thema Lutheranum, Gratiam & misericordiam  
Dei, quâ saluamur, non in nobis per modum habitus vel qualita-  
tis inhaerere, sed extra nos consistere, nobis autem reuera imputari.

### XXX.

Ex hinc autem simul labitur figmentum illud Bellarminia-  
num lib. 1. de Grat. & Lib. arbitrio cap. 3. quasi Gratia gratum  
faciens, hoc est, juxta nos orthodoxos, misericordia divina, in  
Christo nos acceptans, temporaria sit, & non potius æterna.

### XXXI.

Si enim Gratia illa Dei in nobis non est, sed in Deo solo fuit  
est & futura; iam autem manifestum, in Deo nihil nisi æternum esse  
fuisse, vel futurum: irrefragabiliter, ἐξ ἀνάγκης gratiam illam  
non temporariam, sed æternam esse consequitur.

### XXXII.

B

Es ne

Et ne quis putet nos solis ratiunculis Logicis sententiam nostram asserere: prodeat omni exceptione maior testis. Divus Paulus Apostolus, qui nostra sententia se ὁμόληθον esse his verbis memorabilibus luculenter ostendit. Ephes. 1. v. 4. 5. 6. Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos omni benedictione spirituali in caelestibus Christo: quemadmodum elegit nos in ipso Antequam Iacerentur Fundamenta Mundi, ut essemus sancti, & irreprehensibiles coram illo per charitatem: Qui praedestinavit nos, ut adoptaret in Filios per Iesum Christum in sese, juxta beneplacitum voluntatis suae: ut laudetur gloria Gratiae quae charos reddidit nos per illum dilectum. Idem habet 2. Tim. 1. v. 9.

### XXXIII.

Disertè dicit Paulus nos Deum elegisse ante initium Mundi in Christo: hoc est, ab aeterno: & quidem ad declarandam gloriam gratiae suae, quae nos in Christo elegit.

### XXXIV.

Quis iam puerulus Trivialis non animadvertat, gratiam quae Deo Patri per Christum ante initium mundi chari reddimur, non esse temporariam, sed aeternam: nisi quis πρὸ ἀρχῆς κόσμου tempus extitisse aliud stupidus deliraverit.

### XXXV

Ceterum hanc expeditam Classicam controversiam, ad aliam accessum facimus: Movetur enim à nonnullis questio: quia Evangelium, strictè sic nominatum, praedicatio gratiae definitur, num non & concio Pœnitentiae appellari queat.

### XXXVI.

In hac decidenda questione, prius notandum voculam pœnitentiae dupliciter usurpari: primò quidem pro tota conversione, hoc est, pro contritione, & fide simul: nonnunquam verò tantum

tantum pro altera parte conversionis videlicet pro contritione  
qua ex Lege originem suam trahit.

### XXXVII.

Hac postrema significatione sumptum vocabulum paeniten-  
tia, obest planissime, quo minus concio gratia concio paenitentia,  
nominari & definiri possit.

### XXXVIII.

Ac proinde hoc pacto ad propositum ζήτημα planè negative  
respondemus, immò ex affirmativa horrendam legis & Evangelij  
confusionem oriri pronunciamus: quà utriusq; doctrina συχὸς  
et admissa, totam nostram Theologiam ruere hand ineptè Reve-  
rendissimus Pater Lutherus existimavit.

### XXXIX.

Etsi enim Legis & Evangelij harmonia & convenientia  
magna est: ut pote, quod utraq; ab Autore Deo profecta, utraq;  
ad omnes omninò homines pertinet, utraq; ab initio mundi in Ec-  
clesià sonuit, & in eadem semper duratura est, Act. 10. v. 43.  
Hebr. 13. v. 8. Apocal. 13. v. 8. magnum tamen quoq; discrimen  
& Classicam differentiam admittunt.

### XL.

Primò enim plurimum discrepant Notitiâ: Lex creationis  
beneficio Naturâ maximam partem nota est: Evangelium vero  
non naturâ; sed est mysterium à seculis absconditum Rom 2. v.  
15. Ioan. 1. v. 18. Rom. 16. v. 28.

### XLI.

Differunt deinde materiâ: Lex enim Mandata & præ-  
cepta Morum in vitâ: Evangelium verò specialissime sic di-  
ctum, conciones de gratiâ Dei, & remissione peccatorum continet.  
Deut. 6. v. 5. Ioan. 3. v. 16.

### XLII.

Tertiò differentia conspicua apparet in forma promissio-  
num

tionam: Lex enim conditionaliter, si perfecta, non hypocritica Papi-  
stica, Pharisaeica, eiusdem adsit impletio, & quidē non à Christo, vel  
ab alijs; sed à nobis ipsis praestita, bona caelestia promittit. Deut.  
22. v. 26. Luca. 10. v. 28.

### XLIII.

Evangelium vero non propter obedientiam à nobis perfecte  
praestitam sed gratis & gratuito per fidem beneficia vitae aeternae  
pollicetur. Idem enim ex fide ut secundum gratiam: Rom. 4. v. 16.

### XLIV.

Quod ipsum licet à Iesuiticâ nigellâ cohorte acriter impu-  
gnetur, suâ tamen firmitate ex alijs scripturae locis firmissimè con-  
sistit. Rom. 3. v. 23. Ephes. 2. v. 8. Tit. 3. v. 4. Ioan. 3. v.  
1. Ioan. 4. v. 10.

### XLV.

Quarto exinde sic patet inter Legem & Evangelium ma-  
nifestissima deprehenditur, quia utraq; doctrina in diversorum ob-  
iectorum applicatione occupata est, ut Lex & Evangelium unū  
& eidem secundum idem, ad idem & eodem tempore predicari  
nequeat.

### XLVI.

Lex enim habet obiectum homines securos, impios, Epicu-  
raeos, peccatis contra conscientiam indulgentes, Deum & om-  
nem pietatem religiosam extremo contemptui habentes: Iuxta il-  
lud Apostoli 1. Timoth. 1. v. 9. scio illud quod iusto lex non est po-  
sita: sed iniustis & inobsequentibus, & impijs, & peccatoribus,  
irreverentibus & prophanis, parricidis, & Matricidis, homici-  
dis, scortatoribus, masculorum concubitoribus, plagiarijs, menda-  
cibus, periuris.

### XLVII.

Evangelium verò conscientijs pavidis & consternatis an-  
nunciatur Matth. 11. v. 5. pauperibus. Evangelizatur: v. 28.  
veni-

venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, ego reficiam vos  
& Palmo 51. v. 18. Cor contritum & humiliatum Deus non de-  
spiciet.

### XLVIII.

Postremò, quod ad presentem controversiam maximè facit,  
differunt hæc duo doctrina genera principalissimè effectibus: Lex  
enim accusat, terret, damnat: Rom. 3. v. 20. Per legem agnitio  
peccati, Rom. 3. v. 15. Lex iram operatur: Galat. 3. v. 10. Quot  
quot ex operibus legis sunt, execrationi sunt obnoxij.

### XLIX.

Evangelium verò affert consolationem, & pacem in Chri-  
sto, gratiamq; Dei gratuitam per fidem nobis exhibet. Rom. 4. v.  
16. Ideò ex fide, ut secundum gratiam Rom. 1. v. 16. Evangelium  
est potentia Dei ad salutem omni credenti. Rom. 5. v. 1. Iustifica-  
ti fide pacem habemus erga Deum. Esaia 61. v. 1. 2. 3. & alibi.

### L.

Quod si ergò Legis est accusare conscientias, Terrere, & ope-  
rari pœnitentiam, sive contritionem cordis: quemadmodum hæc  
de causâ apud Prophetas Exactor, & Malleus sapissimè dicitur, E-  
vangelio adscribi minimè valet.

### LI.

Fundamenta Adversariorum, in ipsâ disputationis  
aetione Deo benè favente discutiemus, sicuti &  $\Phi\lambda\upsilon\alpha\gamma\iota\alpha\varsigma$  illas,  
quas Robertus Bellarminus contra Legis & Evangelij discrimen  
affert, Tom. 3. lib. 4. de justificatione cap. 2. 3. 4. 5 expediemus.

### LII.

Porrò his ita transactis, occurrit aliud in hæc materiâ  $\zeta\eta-$   
 $\eta\mu\iota\alpha$  nobilissimum; An videlicet doctrina Evangelij veteres quoq;  
Judæi salvati, & sic unâ ratione nobiscum iustificati fuerint?

### LIII.

Scholastici enim commenti sunt, Primos Patres Lege Na-

tura Iudeos Lege Mosis salvatos esse: nos verò lege Evangelij  
iustificari.

#### LIV.

Qua opinio profana est, & omni scriptura πικρὰ λῶς contra-  
ria: Sic enim Divus Petrus, cuius successorem se Papa Romanus  
nefariè venditat, Act. 3. v. 43. Huic omnes Propheta testimo-  
nium ferunt, remissionem peccatorum accipere per Nomen eius  
omnes, qui credunt in eum.

#### LV.

Et luculentius idem Petrus loquitur. Act. 15. v. 11. credi-  
mus per gratiam Domini nostri Iesu Christi salvari, quemadmo-  
dum & illi Patres nostri.

#### LVI.

Cui subscribit Paulus Apostolus, de Abrahamo asserens:  
quod τὸ credere in Christum imputatum ei fuerit ad justiciam:  
Rom. 4. v. 3. & Hebr. 13. v. 8. Iesus Christus, heri & hodiè ipse  
in secula: Item Ioannes in Apocalypsi cap. 13. v. 8. Agnus occisus  
est ab origine Mundi.

#### LVII.

Tandem Sacramentariorum vel Calvinistarum errorem e-  
xaminare Colophonis loco collibet: Ii litem omninò operosam nobi-  
scū agitant de promissionibus Evangelicis, sive de obiecto doctrinae  
Evangelicae, diabolicè docentes, Evangelium sive Gratiam in E-  
vangelio promissam, non Universaliter omnibus hominibus: sed  
tantum paucis & aliquibus particulariter offerri; aut si offeratur.  
Deum hoc non serio, nec voluntate beneplaciti facere; sed tantum  
simulatè, & ut ipsi loquuntur voluntate signi: hoc est, volunta-  
te hypocritica.

#### LVIII.

Sic enim Calvinistarū Coryphaeus modernus, Beza in libro quaest  
& re-



Et spons: questione videris illo dicto. Item in Colloquio Mom-  
pelgard. ad thesiv VVirtberg: 7. sic cum eo Hermannus Kenneche-  
rus in Aur. caten. pag. 136. & Georgius Spindler in seinem schr  
Nötigen berichte pag. 386. & 387 disertissime tradunt.

### LIX.

Quod dogma ipso auditu impium & de testandum est: cum  
Evangelica promissiones tantum non sexcenties Vniversalissi-  
me esse in Biblijs sacris legantur. Matth. 11. v. 28. Venite ad me  
Omnes qui laboratis. sed omnes homines laborant: Ergò. Esaia  
53. v. 6, posuit in eo iniquitates omnium nostrum. Rom. 3. v. 22.  
Conclusit scriptura omnes sub peccatum, ut omnium miseratur; Et  
alibi Ioan. 3. v. 16. Rom. 10. v. 12. Rom. 11. v. 32. 1. Timoth. 2.  
v. 4. 2. Petri. 3. v. 9.

### LX.

Etsi enim hanc gratiam non omnes amplectuntur, & homi-  
nes multi aspernantur benevolentiam à Deo oblatam, negligendo  
verbi divini auditum, sacramentorum usum contemnendo: Et sic  
promissionum applicatio particularis evadit: non quidem obstante  
Deo sed sibi met obstantibus hominibus.

### LXI.

Tamen propterea ipsa promissionum natura vniuersalis esse  
non desinit: Quid enim, (inquit Divus Paulus) si quidam illo-  
rum non crediderunt? Numquid incredulitas illorum, Dei fi-  
dem evacuabit? Absit: Est autem Deus verax, omnis autem homo  
mendax. Rom. 3. v. 3, ex Psal. 115. v. 11.

### LXII.

Maneat ergò Deus in promissionibus suis quas Vniuersa-  
les esse voluit, veracissimus: Maneant sacramentarij in promissi-  
onibus fingendis particularibus homines pro more & ingenio suo  
mendacissimi: Tu nos Iesu Christe in veritate tuá sanctifica;  
sermo tuus sanctus est veritas in secula seculorum Amen.

μόνον τῷ θεῷ δόξα εἰς αἰῶνα Ἀμήν.

C O R O L

# COROLLARIA.

I.

Rectè D. Augustinus: Gratia non est gratis ullo modo, sed non de tur gratis omni modo.

II.

Mentitur Bellarminus; Gratiam gratum facientem, hoc est, misericordiam Dei, re non distingui ab habitu caritatis. Lib. 1. de grat. & Lib. Arbitrio cap. 6.

## AD DN: RESPONDENTEM

Tempore quo stabulum Augia purgare Lutherus  
Debuit, & Caci, facies quem Diva tegebat,  
Romani iugulum petere: ensis & illius arma:  
Pagina sacra fuit: quo solo fesus, ut olim  
Isaides gladio Goliathi, victor abruit,  
Et Papæ in tenebris incendia vana vomentis  
Transfodit costas & pectora candida rupit.  
Ex illo celebratus honos, letiq; minores  
Morem servare vere legendi Biblia sacra,  
Securi, quamvis Papa BELLA atq; ARMA MINETUR  
Ergo tibi Frater dulcissime gratulor, enseni  
Spiritualement teneris quod stringere ab annis  
Incipis: hoc jugula, quos cernis Cominus hostes  
Perrennatura ἀναμνηστος arctissimeq; amicitie  
causâ deproperavit

Valentius Försterus  
Smalcaldensis.

Per A. d. 2 May 1698

99 F 218

ULB Halle

3

002 039 621




Nur für den Lesesaal

18







DISPUTATIO ORDINARIA XI.  
DE  
*GRATIA ET EVANGELIO*

Ad cuius positiones,  
DIVINA FAVENTE CLEMENTIA  
*Præside*

MATTHIA HOE, NOBILISS:  
ET MAGNIFICI VIRI, DN. D. LEONHARDI HOE & C. CONSILIARII  
Archiducalis Austriae piæ memoriæ Filio  
S. S. Theologiæ Candidato,  
*Pro viribus respondebit.*

CHRISTOPHORUS  
Steidlmeir Purbachius Austriacus Illustr  
*Procerum Austriae Inferioris*  
Alumnus.

*Ad diem 27. septemb. Anno seculari*  
*1600 horâ 12. pomeridianâ.*

WITTEBERGAE,  
Typis Zachariæ Lehmanni.  
Anno M. D. C.